

Utrum caritas infusa augeri vel minui possit essentialiter et proprie. Quod non, quia illud quod essentialiter consistit in indivisibili non potest in essentia sua suscipere magis et minus et per consequens nec augeri nec minui, igitur quaestio falsa. Antecedens notum, quia oppositum predicati infert oppositum subiecti. Et consequentia nota, quia caritas immo omnis forma secundum auctorem Sex principiorum est compositioni contingens simplici et (42va) invariabili essentia consistens et loquitur de forma accidentali cuius est caritas.

Ad oppositum arguitur sic omnis qualitas potest augeri vel minui. Igitur quaestio vera. Antecedens est philosophi in Predicamentis et exemplificatur ibidem de secunda et de tertia specie qualitatis et consequentia nota, quia caritas est in prima specie qualitatis cum sit quidam habitus.

Respondeo pro solutione quaestionis ponendo tres conclusiones. Prima conclusio est quod caritas et omnis forma accidentalis non potest augeri vel minui per maiorem vel minorem depurationem forme contrarie. Probatur tripliciter.

Primo sic: in minus calido nihil est de forma frigiditatis, igitur conclusio vera. Patet consequentia, quia si sic, non poterit fieri magis calidum per expulsionem sue forme contrarie scilicet frigiditatis, et probatur antecedens, quia si in minus calido est forma frigiditatis aut erit ibi actu et formaliter et hoc esse non potest. Quia tunc duo contraria formaliter essent insimul aut in esse fracto et virtualiter eodem modo quo contraria franguntur immedia forma que conflatur ex eris, ut puta ex albo et nigro. Et secundum hoc minus calidum non erit sub specie calidi, quia media specificiter differunt ab extremis 10 Metaphisice textu commenti 22, sed hoc est falsum scilicet quod minus calidum non sit sub specie calidi, quia tunc una forma specie non susciperet magis et minus igitur.

Secundo sic: aliqua forma recipit magis et minus augmentatur et minuitur que tamen nullum habet contrarium. Igitur conclusio, vera consequentia nota. Quia eadem ratio videtur de una forma accidentali et de omnibus aliis, sed patet antecedens. Quia secundum Philosophum secundo Topicorum delectationi que est in sciendo nihil est contrarium, et tamen docet experientia quod unus plus delectatur quam alius in sciendo. Et confirmatur quia lux suscipit magis et minus et tamen luci nihil est contrarium quia tenebra luci opponitur solum privative, quia tenebra nihil est nisi lucis absentia ut dicit Magister libro 8 distinctione 12.

Tertio sic argumentatio caritatis vel cuiuscumque alterius forme accidentalis est effectus realis et positivus. Igitur non potest effici solum a causa privativa. Sed remotio contrarii a forma est solum causa privationis contrarii in forma, ut puta si sit al- (42vb)bedo permixta cum nigredine, Et aliqua casua expellat nigredinem certum est quod hic nihil positive causatur, sed solum privative. Istius opinionis videtur esse venerabilis Anselmus De concordia, capitulo ultimo, ubi probat quod beatitudo angelorum est maior quam fuisset beatitudo Ade si persistisset in paradiso et tamen beatitudo Ade fuisset sine omni miseria, non igitur est forma minor vel remissior propter solam admixtionem cum contrario, et probat per hoc simile sicut namque calor magnus est sine omni frigore et tamen potest alius esse maior et quemadmodum frigus est sine omni calore cum tamen maius valeat esse frigus. Ita nihil prohibet Adam beatum fuisse in paradiso sine omni indigentia, licet maior esset angelica beatitudo. Ex quibus verbis plane habetur quod calor potest esse maior et minor non per accessum vel recessum a contrario sed per accessum et recessum ad gradum maiorem vel minorem in eadem forma secundum se. Posset etiam singulariter probari de caritate quia si caritas habeat aliquod contrarium insimul cum ipsa manere non potest.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: omnis forma accidentalis, quanto est a contrario magis depurata tanto est magis intensa, Et quanto minus depurata tanto minus intensa, igitur conclusio falsa. Patet consequentia, sed antecedens ponit Philosophus tertio Topicorum in primo capitulo dicentis quod albius est quod est nigro impermixtius. Hoc autem non esset nisi forma intenderetur per depurationem a contrario.

Secundo sic: quandocumque magis album sit minus album dicitur transmutari ad aliquod nigrum. Igitur conclusio falsa, consequentia nota. Quia hoc non foret nisi omne augmentum forme fieret per depurationem a contrario et antecedens est commentatoris 5 Phisicorum, commento 19, ubi dicit quod aliquid non sit minus album nisi ex mixtione contrarii verbi gratia illud quod est maius album dicitur transmutari ad aliquod nigrum quando sit minus album. Tertio arguitur in speciali de caritate per Augustinum 83 quaestionibus, quaestione 26 et 31 dicentem quod venenum caritatis est cupiditas, ubi enim magna caritas est ibi parva est cupiditas, et ubi nulla cupiditas est perfecta caritas, sed hoc non esset nisi caritas intenderetur (43ra) per hoc quo a suo contrario deputatur. Igitur per hoc caritas augmentatur secundum Augustinum, ut videtur.

Respondeo pro solutione istorum argumentorum est notandum quod aliquid potest dici permixtum alteri dupliciter. Unomodo secundum rem et formaliter, ut secundum quosdam sunt elementa immixto et vinum cum aqua. Alio modo per maiorem vel minorem accessum vel recessum distantiam et approximationem, ut linea minus curva dicitur magis permixta cum recta quam magis curva, hoc ideo quia minus aliena recta distat.

Ad primum igitur dico quod quando philosophus ait quod illud est albius quod est nigro impermixtius quod accidit permixtum secundo modo et non primo quasi dicat illud est magis album quod a nigro magis distat et nihil valet auctoritas ad propositum.

Ad secundum etiam eodem modo dico ad commentatorem.

Ad tertium eodem modo dico ad Augustinum. Vel dico quod Augustinum sic intelligit quod ubi est magna caritas ibi est parva cupiditas id est minor approximatio vel dispositio ad cupiditatem non quod cupiditas scilicet mortalis et caritas insimul stare possint.

Secunda conclusio est quod caritas et omnis forma accidentaliter non dicitur augeri vel minui ex eo precise quod magis vel minus ipsam participat subiectum illius forme.

Pono enim istam conclusionem contra dicentes quod forma nulla de se suscipit magis et minus, nec augmentatur per aliquid illius forme, sed solum ex hoc quod subiectum illius magis et minus participat illam formam. Probo igitur conclusionem tripliciter:

Primo sic: si caritas solum susciperet magis et minus ex hoc quod magis et minus participatur a subiecto et non in essentia sua, sequeretur quod in patria, cum ibi nulla sit indispositio ex parte subiecti, quod omnibus equaliter inerat caritas et equalis erit in omnibus, et cum habitui caritatis correspondeat essentialis beatitudo creata.

Erit beatitudo minimi beati sicut beatitudo anime Christi secundum essentiam et esse. Sed consequens est falsum, et probatur consequentia quia, in causis precisis, si oppositum est causa oppositi et reliquum est causa reliqui. Si igitur dispositio subiecti est causa precise quare habitus augetur secundum esse in subiecto, ut tu ponis sic et indispositio subiecti erit precisa causa quare habitus vel forma (43rb) non augetur, cum igitur in beatis nulla sit indispositio subiecti nec ex parte vicii vel fomitis vel cuiuscumque. Sequitur quod equaliter erit in omnibus talis caritatis habitus, sed forte ad rationem dico quod licet ibi nulla sit indispositio tamen dispositio maior est in uno quam in alio contra.

Quia tunc per te dispositio suscipit magis et minus in subiecto. Tunc quero: aut hoc est ex se, et habeo principale intentum, aut ex parte dispositionis subiecti, et hoc non, quia tunc esset processus in infinitum.

Secundo sic: de qualibet alia forma si conclusio non esset vera sequeretur quod in principio motus cessaret motus, quod implicat. Probatio consequentie, quia habito termino motus secundum rationem qua est terminus motus cessat motus, sed in principio dealbationis habetur albedo, quod est terminus dealbationis, igitur in principio cessat. Probo minorem quia omne quod movetur habet aliquid de utroque termino, 6 Physicorum textu commentu 32 et 10 Metaphisice. Igitur in principio dealbationis est aliquid de esse albedinis. Si igitur esse albedinis non suscipit magis et minus in principio dealbationis est in subiecto albedo perfectissima, sed albedo perfectissima est terminus motus dealbationis.

Igitur in principio dealbationis cessat dealbatio. Sed forte dicitur ad rationem quod albedo non est terminus dealbationis secundum perfectionem essentie quam habet in principio, sed secundum perfectum esse in subiecto quod non statim habet, sed successive acquirit. Contra per se terminus dealbationis est aliqua forma de genere qualitatis. Igitur illa secundum speciem est per se terminus dealbationis et nihil aliud et illam habet subiectum secundum se perfectissimam in principio dealbationis igitur terminus in principio dealbationis est perfectissimus, igitur in principio cessabit motus.

Tertio sic: si conclusio non sit vera, sequitur quod habens unum gradum caritatis solum posset sibi ipsi augere caritatem stante Dei generali fluentia consequens falsum quia secundum philosophum 2 Ethicorum capitulo primo ab eodem agente augetur habitus a quo in esse producitur. Habitus autem caritatis sive gratie solum a Deo producitur et inspiratur, ut ait Magister libro 2 distinctione 27. Sed patet consequentia, quia stante Dei generali in- (43va) fluentia homo potest se magis ac magis disponere per exercitium bonorum actuum postquam habet aliquam caritatem et ita se magis subdere illi caritati.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: nullum simplex habet partes intrinsece quelibet forma accidentalis est realitas simplex secundum quod ait auctor Sex principiorum in principio libri, et Philosophus 8 Metaphisice textu commentu 10 dicit quod forme sunt sicut numeri in quibus non potest fieri additio quin species mutetur. Igitur caritas nec aliqua alia forma habet in se partes vel gradus intrinsece, igitur in se non potest intendi. Igitur solum intenditur et minuitur per maiorem et minorem sui radicationem in subiecto vel participationem a subiecto.

Secundo sic: si caritas aut alia forma augmentaretur intrinsece per adventum alicuius partis realis quero aut ille partes distingueretur specie et hoc non, quia tunc caritas aucta esset composita ex partibus alterius et alterius rationis. Aut numera lateri et hoc non, tum quia concurrunt in una unitate numerali, tum quia sunt in eodem subiecto. Duo autem accidentia solo numero differentia in eodem subiecto insimul esse non possunt, secundum Philosophum 3 Physicorum, textu commentu 28. Igitur caritas non potest augmentari per partes intrinsecas sed solum per maiorem subiecti participationem caritatis.

Tertio sic quia hoc expresse videtur dicere simplicius super predicamenta, dicens quod intentio Aristotelis fuit quod forme non suscipiunt magis et minus in se, sed ut participantur a subiecto hoc etiam videtur velle commentator 2 Physicorum, commentu 83, dicens quod additio caloris non est secundum additionem partis in toto, sed quando calor agentis vigoratur, crescit calor patientis, non secundum additionem partium calidarum extrinsecarum. Igitur etiam

secundum physicam veritatem forme intrinsece non habent partes, sed earum intensio solum attenditur per hoc quod in subiectis magis et minus participantur, igitur.

Respondeo: ad primum dico quod aliquid potest dici simplex dupliciter. Uno modo per exclusionem latitudinis gradualis, sic scilicet quod sua essentia consistat in indivisibili gradualiter, et sic non est forma accidentalis, licet secundum aliquos (43vb) talis sit forma substantialis. Alio modo aliquid dicitur simplex quia non potest esse subiectum alicuius compositionis et sic forma accidentalis est simplex et cum hoc stat quod in sua essentia specificè habeat gradualem latitudinem. Ex hoc ad auctoritatem Sex principiorum dico quod intelligit quod forma est simplex et invariabilis etc, scilicet subiective et non secundo modo.

Ad philosophum dico quod forme sunt sicut numeri scilicet forme substantiales que non suscipiunt magis et minus, sed non accidentales. Vel si loquatur de omnibus formis, dico quod forme accidentales sunt sicut numeri in hoc quod sicut numerus superior continet inferiorem sic forma et species superior continet inferiorem saltem perfectionaliter et virtualiter. Non autem quantum ad hoc quod forma mutet speciem per additionem cuiuscumque gradus forme, sicut numerus per additionem cuiuscumque numeri.

Ad secundum dico quod realitas sive gradus secundum quem sit forme intensio non distinguitur specificè nec numeraliter nec aliquo modo distinguitur in actu a preexistente gradu forme, sicut nec partes continui de quibus magis videtur, distinguitur tamen in potentia in quantum minor gradus potest manere absque intensiori gradu.

Ad tertium dico quod simplicius vult dicere quod intentio philosophi est quod forma accidentalis in se a subiecto separata non suscipit magis et minus, quia secundum Philosophum nec ipsa forma accidentalis potest esse sine subiecto, sed hoc solum suscipit ut participatur a subiecto, quia eius esse est in subiecto esse vel a subiecto participari.

Ad dictum Commentatoris dico quod loquitur quando ab agente transfertur aliqua potentia agentis in passum, et negat hoc generaliter esse verum dicens quod actio agentis in passum non est secundum translationem vel secundum additionem unius portionis que addatur passo, sicut pars toti, sed est secundum vigorem virtutis agentis in passum. Non autem negat ex hoc quin forme existenti in passo aliquis gradus addatur eductus de potentia materie vel ab extra.

Tertia conclusio est quod caritas et alia forma accidentalis augmentabilis per acquisitionem alicuius novi gradus augeri dicitur essentialiter et proprie. Probatur tripliciter.

Primo sic: omne quod movetur est in potentia ad illud quod (44ra) movetur. Patet, quia motus est actus entis in potentia, Physicorum 3, textu commenti 6, sed omne quod est in potentia caret aliquo actu in quem tendit per motum, ut patet 9 Metaphisice textu commenti 7. Igitur omne quod movetur caret illo ad quod movetur, sed subiectum existens sub forma remissa vere movetur ad formam de genere qualitatis et ad realitatem aliquam pertinentem ad illud genus. Igitur illa caret. Igitur necesse est quod aliquem gradum vel formam illius generis acquirat subiectum quam in principio motus non habebat. Secundo sic: impossibile est quod aliquid de novo perficiatur realiter aut intendatur nisi sibi adveniente realitate aliqua de novo ipsum perficiente. Sed forma remissa dum intenditur realiter perficitur. Igitur hoc erit per aliquam realitatem sive gradum sibi de novo advenientem. Minor de se patet, sed maior patet quia aliter materia perfici posset et non per realitatem novam sibi advenientem et secundum hoc forma non differret realiter a materia, quod est falsum.

Tertio sic: impossibile est quod idem realiter sit perfectius se vel excedat se nisi per aliquod sibi superadditum. Sed albedo intensa est perfectior albedine remissa, et ipsam realiter excedit. Similiter de caritate intensa respectu remisse, igitur aliquod reale continet albedo intensa, quod non facit remissa et istud non potest esse nisi albedo, quia aliter non excederet ipsam in eo quod albedo. Igitur aliquis realis gradus albedinis est in albedine intensa qui non erat in remissa.

Contra conclusionem faciunt tres rationes facte contra secundam precedentem conclusionem. Ultra quas contra istam conclusionem aliter arguitur tripliciter.

Primo sic: de forma caritatis singulariter, si caritas augmentaretur per adventum nove realitatis sive gradus caritatis, sequeretur quod creatio posset mensurari tempore. Consequens est falsum, quia omnis successio in productione cuiuslibet rei est propter aliquam resistantiam. Deus autem in creando nullam resistantiam potest habere. Probatur consequentia, supposito primo quod omnis caritas producat per creationem, quia non de potentia alicuius materie.

Item supposito quod augmentatio caritatis fit successive et in tempore, ut patet de illo qui est in actu caritatis et eli- (44rb) cit actum meritorium et ipsum continuat. Certum est quod talis continue magis ac magis meretur et quanto magis meretur tanto sua caritas magis augetur, tunc certum est quod augmentatio talis caritatis producat in tempore et non nisi per creationem, igitur creatio sit in tempore.

Secundo sic si caritas augmentaretur per gradus et realitates advenientes, tunc quero aut gradus subsequens stat cum priori, aut non. Si non, igitur non est forme vel caritatis preexistentis augmentatio, sed magis ipsius destructio, quia adveniente secundo gradu, destruitur primus. Et forma preexistens vel aliud erat quam ille primus gradus. Si autem stant simul, aut faciunt unum compositione aut aggregatione. Non compositione, quia tunc precedens gradus esset materia respectu subsequentis, quod est impossibile.

Si aggregatione solum, igitur non sunt una forma numero nisi sit sicut acervus lapidum est unus lapis; utrumque igitur est impossibile.

Tertio sic: si caritas sic augetur, quero aut illa augmentatio esse secundum quantitatem molis, aut virtutis.

Non primo modo quia caritas tali quantitate non est quanta. Nec secundo modo, quia quantitas virtutis attenditur secundum obiecta in qua potest virtus, sed quecumque caritas in omnia diligibilia potest. Igitur nulla caritas augeri potest.

Respondeo. Ad primum dico quod aliqua res dicitur creari dupliciter. Uno modo quia de nichilo in se producat, et est per se subsistens, ut anima. Alio modo quia de nihilo non in se sed in alio producat, sicut creatio cuiusque accidentis, si crearetur, modo dico quod creatio primo modo non mensuratur tempore, sed secundo modo potest mensurari tempore, et hoc ideo non quia aliquid resistit agenti, sed quia cum sit agens liberum, sic successive vult rem illam producere, et sic est de augmentatione caritatis.

Ad secundum, dico quod gradus precedens et sequens stant simul et faciunt unum, non compositione, nec aggregatione, sed formalitate, quia sunt una forma numero, sicut est in augmentatione caritatis. Quantitas procedens et subsequens faciunt unum, non compositione, nec solum aggregatione, sed formalitate, quia sunt una quantitas formaliter.

Ad tertium dico quod licet minima caritas possit in omnia diligibilia non tamen eque intense et faciliter, sicut caritas intensa. Et ideo talis augmentatio est quantitas virtutis, non quia

virtus caritatis intense dicatur maior, quia in plura obiecta possit quam remissa, (44va) sed ideo dicitur maior quia intensius et perfectius potest in illa obiecta quam remissa.

Ad argumentum principale in oppositum patet per solutionem primi argumenti contra secundam conclusionem presentis questionis etc.